Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

paenitentiam ageritis omnes simul peribitis mox de infecunda atque heradicanda
arbore parabolam subiungit apertissime docet eos quibus loquebatur instar infruc
tuosae fici si non paeniterent esse succidendos. Uinea enim domini sabaoth domus israhel
est ut esaiae cantico docemur. sinagoga autem in eadem domu condita ficus est arbor
in uinea. sed qui uineam suam permisit uiatoribus diripi hic etiam ficum iussit excidi.

ET UENIT QUAERENS FRUCTUM IN ILLA ET NON INUENIT.

Ipse qui sinagogam per moysen instituit dominus in carne natus apparuit et crebrius in sina
goga docens fructum fidei quaesiuit. sed in pharisaeorum mente non inuenit.

DIXIT AUTEM AD CULTOREM UINEAE ECCE ANNI TRES SUNT EX QUO UE
NIO QUAERENS FRUCTUM IN FICULNEA HAC ET NON INUENIO.

Per cultorem uineae apostolorum doctorum que ordo exprimitur. quorum precibus
ac monitis assidua plebi dei cura suggeritur. his etenim dominus sepissime de infructuosa iudaeo
rum gente querebatur quod per tres annos suae uisitationis. hoc est in legalibus edictis in
propheticis contestationibus et in ipsa carus cantis euangelii gratia neglegens extiterit.

SUCCIDE ERGO ILLAM UT QUID ETIAM TERRAM OCCUPAT.

Non ab apostolis sed a romanis gens iudaea succisa et a terrae repromissionis iecta est. sed
succide inquit illam succisionis euentum et cladem paenitentiam suadendo propone
quae iusto iudicio terram cum regno perdidit pro cuius amore caeli ciues persequi
ipsumque caeli et terrae regem occidere non metuit dicens per suos pontifices et pha
risaeos. si dimittimus eum sic omnes credent in eum et uenient romani et tollent nostrum
et locum et gentem. potest etiam per terram steriliſ ficu occupatam iudaicae plebis
turba figurari quae noxia praepositorum umbra ne ueritatis lumen recipere pos
sit pressa et ne superne dilectionis sole calefaceret exemplo est eorum prauitatis impe
dita. iuxta quod eisdem alibi saluator. Uae inquit uobis scribae et pharisaei hipocri
tae qui clauditis regnum caelorum ante homines. uos enim non intratis nec introe
untes sinitis intrare.

AD ILLE RESPONDENS DIXIT ILLI DOMINE DIMITTE ILLAM ET HOC ANNO
USQUE DUM FODIAM CIRCA ILLAM.

Uox apostolorum est qui post passionem domini pro iudaeis summopere precabantur ne ab
inpaenitentibus dominicae crucis ultio perageretur usque dum fodiam inquit circa illam.
Id est radicem infructuosae mentis ligone bis acutae infectionis humiliem et praesentium
uidelicet pressuram et horrorem perpetuae damnationis incutiens. omnes quippe
fossa in imo est et nemirum increpatio dum mentem sibi demonstrat humiliat.

ET MITTAM STERCORA.

Id est malorum quae fecit abominatione ad animum reducam et conpunctionis gratiam